B. N. C
FIRENZE
1023
2

XVII
[illegible]
[illegible]

1023. 2

1023.2

PRO VICTORIA

De Turcis Viennam obſidentibus

REPORTATA

PLAVSVS

P. Sigiſmundi a S. Syluerio Florentini Cl. Reg. Scholarum Piarum.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO.

D. ABBATI CAROLO ANTONIO

GONDI

A SECRETIS STATVS

SER.MI COSMI III.

MAGNI ETRVRIÆ DVCIS

Ab Hyppolito Naueſi dicatus.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

FLORENTIÆ propè Conductam 1683. *Superiorum permiſſu*

LVNA CONVERTETVR
IN SANGVINEM.
Ioel Cap. II.

SERENISS.^MO ET INVICTISS.^MO

IOANNI· III· SOBIESCHI POLONIARVM REGI

Sigiſmundus a S. Syluerio Cl. Reg. Paup. Matris Dei Scholarum Piarum P. Generalis Aſſiſtens

P. F.

DVM vniuerſa per Te tryumphat Europa, Rex Inuictiſſime, & meus debuit Calamus exultare. Glorioſiſſimum facinus perpetraſti, quod omnia Sacula decantabunt. Exemplum liquiſti Poſteris, quod in ſuperioribus nemo vnquam vidit. Maiores in diem a Te Victorias Chriſtianus Orbis expectat. Vota fortunet Deus, qui Te in Sacram hanc Expeditionem vocàuit. Salue diù fælix ad vera incrementum Fidei, & perennem totius Europæ incolumitatem. Florentiæ nono Kal. Octobris MDCLXXXIII.

VA-

I.

VATICINIVM CRONOLOGICVM

IOANNES III. SOBIESCHI DEI GRATIA STRENVVS
REX POLONORVM.
MDCLXVVVIIIIIIII.
DESERTO REGNO TVRCAM EX VNGARIA FOELIX
PROSCRIBET.
MDCLXXVVIII.

II.

Dux erat, infracta pattum virtute IOANNI
Regnum offert hilari Turba Polona manu.
Hunc placidè Solio regnantem ſuſcitat Iſter
Armis, quod ſeuo Thrace Vienna gemat.
Audijt inſtantem gemitu, Regnoq; relicto,
Aduolat, Auſtriacum ſeruet vt Imperium.
Rex Tibi conſurgit fortiſſime Gloria maior,
Quod modo liquiſti, quam quod adeptus eras,
Sol

III.

Sol ſtetit, imperio iuſſit cum Ioſua; ſed nunc
SOBIESCHI ad nomen Tracia Luna fugit.

IV.

Aureum expoſcit Calamum
IOANNIS SOBIESCHI
Ferrum
Auream pacem Europæ Bello daturum.
Militari Virtute
Poloniæ Sceptrum quondam promeruit,
Nunc Orthodoxę Fidei Defenſione
Accipiet Diadema ſpeciei de manu Domini,
Quoniam accepit Armaturam zelus illius
Ad vltionem Inimicorum.
Munitus proceſſit,
Et totum Barbarorum circumuenit Exercitum.
Quales Heroe tanto digni ſunt plauſus?
Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit,
Sed pro omnibus nobis tradidit Illum.
Eo Viennam appropinquante
Infirmi accincti ſunt robore.
Princeps ſiquidem Inuictiſſimus
Obſidentium ſuperba Arma proſpiciens
Ne terreamini (dixit) Amici mei

Ab

Ab his, qui nos perſequuntur:
Nihil proficiet Inimicus in nobis.
Mirum!
Irruit ſtatim ſuper Filios iniquitatis
Formido, & Pauor,
Et glorificati ſunt Noſtri
In omni Exercitu, in Curribus, atq; Equitibus.

V.

Nouum Abraham in Polonia
IOANNEM SOBIESCHI
Lector venerare.
Iſaac ille filium ſuum ad Dei vocem,
Hic & ſe ipſum ad Dei Vicarij nutum ſacrificauit.
Maiorem ſanè eo Charitatem nemo habet,
Qui animam ſuam poſuit pró Amicis ſuis.
Sanctiſſimum Francorum Regem Aloyſium
Aberrantem a Regno, vt errantes frenaret Saracenos
Priſca iurè demirata ſunt ſæcula,
At Sceptrum Hæredes Filios manebat;
Ioannes verò
Vxorem, & immaturos Filios
Coniugis, Patris, Regni
Iacturæ infractus expoſuit.
Quare Dextera Domini roboratus
Viennã venit, anguſtias vidit, Rebelles vicit, ac Turcas.

Quan-

Quantis reuertetur ſpolijs onuſtus, & gloria!
Maiora tamen Fœnora ſacrũ è Cœlo vendicat Fœdus.
Benedicet illi Dominus,
Et multiplicabit ſemen eius ſicut Stellas Cœli,
Et velut Arenam, quæ eſt in litore Maris,
Et poſſidebit ſemen eius Portas inimicorum noſtrorũ

VI.

Exultate Ciues in Conſpectu Dei,
Et delectamini in lætitia.
Abſterſit Dominus Exercituum omnem lacrymam
Ab oculis noſtris,
Et iam non erit ampliùs, neq; luctus, neq; clamor,
Sed nec vllus dolor,
Quoniam ipſe dedit Virtutem, & Fortitudinem
Plebi ſuæ.
Hac Gentes, quę in Hæreditatem eius venerant,
Vt Templa Sancta polluerent,
Iam contritæ,
Et Nos liberati ſumus.
Exultate iterum Ciues
Sicut exultabunt Victores capta Præda
Quando diuident ſpolia.

VII.

Io!
Poſt tot diſcrimina Europa ter fœlix.
Arcus Fortium ſuperatus.
Conſumptus incaſſum labor Obſidentium,
Atq; in ſe ſperantium ſuperbia contrita eſt.
Quia Dominus Deus noſter in medio eorum
Magnus, atq; Terribilis,
In manu robuſta, & brachio extento
PRINCIPES FOEDERATI
Delebunt omnes,
Qui, cum fugerint, latere non potuerunt.
Eia agite, ſtrenuiſſimi Heroes.
Dedit eos in conſpectu veſtro:
Non parcat Oculus veſter, ne ſint iterum in ruinam.
Si legationem mittentes rogent ea, quæ Pacis ſunt,
Nolite audire.
Interficite, donec penitùs deleantur.
Tradet .n. Reges eorum in Compedibus,
Et Nobiles eorum in Manicis Ferreis.

99 956 189

MC